



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 65. Hæc sententia a Cardinale Polo vehementer impugnata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. turum sit providentiae divinæ, in Apostoli  
A.C. 1546. ad Evangelii doctrinam componendam diri-  
gendas. Concludebat itaque hunc in  
modum: *Magis periculum est materiam*  
*hanc pertractare, quam inter Scyllam &*  
*Charybdim navigare, longeque satius estimi-*  
*tari Patres, qui hunc locum tanquam scopu-*  
*lum semper præterveisti, eum nunquam atti-*  
*gerunt, nisi premente necessitate, sic tamen,*  
*ut inter Traditiones, & Verbum Dei scri-*  
*ptum articulum comparationis nunquam for-*  
*marint. Neque ad eam quæstionem in pra-*  
*sens determinandam ulla adducitur necessitat,*  
*quando Lutherani, utcunque alio se quam Scri-*  
*ptura judice convincendos negent, formaliter*  
*tamen de hoc articulo controversiam nullam*  
*instituerint.*

### §. LXV.

*Hæc sententia a Cardinale Polo*  
*vehementer impugnata.*

Verum hæc opinio nemini probabatur,  
præcipue vero Cardinalis Polus ad-  
versus eam vehementius insurgens hæc  
effatus est: *Hæc sententia dignior esset Col-*  
*loquio Germaniæ, quam Ecclesiæ Concilio*  
*universalis: hic enim sincera veritas solum*  
*contemplanda est: illic rerum Conciliatio po-*  
*tissimum spectatur, cum veritatis etiam præ-*  
*judicio: ad Ecclesiam autem conservandam*  
*omnino est necessarium, ut Lutherani aut u-*  
*niversam Ecclesiæ Romanæ Doctrinam ad-*  
*mit-*

mittant; aut eorum errores quam plurimi Sæcul XVI.  
detegantur, quo magis perspicuum omnibus A. C. 1546.  
evadat, omnem concordiam cum ipsis spem es-  
se deploratam: quam ob rem si nullam ipsi  
super Traditionibus controversiam institue-  
rint, ea nunc est formanda, atque cum eo-  
rum opiniones sint damnandæ, tum declaran-  
dum, doctrinam eam non solum abesse a ve-  
ritate, ubi ex professo ei contradicit, sed in  
omnibus aliis quoque suis membris ac parti-  
bus, adeoque incumbendum damnandis om-  
nibus, quæ ex eorum scriptis elici possunt,  
ineptiis ac erroribus. Vetus porro est me-  
tus incidendi in Scyllam aut Charybdim, ex  
captiosa illa ratione allata, quam qui atten-  
dit, nullam prorsus esse Traditionem fa-  
cile inde evicerit (\*).

Hh 4

His

(\*) Rursus totam hujus historiæ seriem de  
utroque hoc Religioso a nequissimo Paulo Sar-  
pio, ex quo eam Dupinus descripsit, mere fuisse  
confictam, observat Pallavicinus, qui postquam  
I. 6. c. 11. n. 14. eundem Sarpium de alio men-  
dacio redarguit, hæc subjunxit: *Ex his men-  
daciis, quorum hic aperte convincitur, merito  
mihi licet conjicere, & que plane commentitia esse,  
quæ ille de multorum sententiis colorat, præser-  
tim vero Lunelli Franciscanorum Prodigis, ac  
Marinari Carmelitarum: quarum rerum & in  
Actis & in literis Legatorum ad Farnesium Car-  
di-*

Sæc. XVI.  
A.C. 1546.

His ita agitatis Clodiensis Episcopus demonstrare conabatur, quod ex Florentina Synodo sacræ Paginæ Canon ejusque auctoritas haud comprobari valeat, cum illius Decretum Anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto die quarta Februarii fuisset editum, eadem vero Synodus jamjam Anno salutis millesimo quadringentesimo trigesimo nono finem habuerit. Verum mox ostendit primus Legatus, quod sua hunc Episcopum opinio falleret, eoquod Latina quidem Abrahami Cretensis versio post septimam Sessionem Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono desineret, cum præfatus Auctor Synodi acta duntaxat usque ad Græcorum discessum perduxisset, interim vero Concilium adhuc solidos ferme tres annos tenuisset tum Florentiæ, tum Romæ, ad quam urbem Constitutione die vigesima sexta Aprilis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo edita fuit translatum.

§. LXVI.

dinalem, & in aliis coviosis monumentis, quæ apud me sunt, ne vestigium quidem compario, prout absque dubio comparissem.